C gula uerum esse Quinquefoliũ docent. Adeoq; mirari satis non possum, cur nonnulli adulterina hæc esse Pentaphylla sibi persuaserint.

LOCVS.

Prouenit aquosis locis, & iuxta aquæductus. Interdum etiam in incultis, siccis & arenosis locis.

TEMPVS.

Floret Maio & Iunio mensibus potissimum.

TEMPERAMENTVM.

Vtriusq; certè folia, flores & radices uehementer adstringunt: atqueadeo, ut Galenus ait, radix, cuius multus est usus, ex tertio est ordine desiccantiũ, minimum habens euidentis caliditatis.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radicis Quinquefolij decoctum ad tertias depressum deductúmue, si in ore retineatur, dentium dolores sedat. Putrescentia oris ulcera collutione sistit. Arteriæ asperitates gargarizatum emendat. Contra alui profluuia, & dysenterias auxiliatur. Item articulorũ & coxendicũ dolores potum sanat. Cocta in aceto & illita, herpetas cohibet. Strumas discutit, duritias, œdemata, aneurysmata, abscessus, erysipelata, digitorum pterygia, condylomata, scabiesq; sanat. Teneræ radicis succus, contra iecinoris pulmonisq; affectiones & uenena prodest. Folia cum hydromelite, aut uino diluto, & exiguo pipere, contra febrium circuitus bibuntur: in quartana quidem quaternorũ ramulorum folia, in tertiana uerò trium, in quotidiana unius. Tricenis diebus pota comitiali morbo medentur. Succus foliorũ per dies aliquot triũ cyathorũ mensura potus, celeriter regiũ morbum sanat. Vulneribus ac fistulis cum sale & melle illita medentur. Enterocelicis, id est, intestinorum ramice laboranti-
D bus succurrunt. Sanguinis eruptiones potum & illitum Quinquefoliũ sistit. Inciditur ad expiationes lustrationésue, sanguinis profluuia & castimonias.

EX GALENO.

Pentaphylli radix desiccat uehementer, minimum uerò acris est: quare in multo est usu, uelut alia quoque omnia, quæ quum sint tenuium partium, citra morsum desiccant.

EX PLINIO.

Quinquefoliũ adhibetur purgandis domibus. Strumis medetur, & pectoris uitijs. Idem ischiadicis bibitur & imponitur. Panos sanat. Impositũ articulis utilissimum. Fistulis quæ in omni parte serpunt auxilio est cum sale & melle. Phalangio aduersatur, lichenas emendat. Succus de Quinquefolio potus cyathis tribus angine medetur. Idem iecinoris & pulmonis uitijs, sanguinemq; reijcientibus, cuicunq; sanguinis uitio intus occurrit. Multi supra omnia laudant ad deploratos dysentericos Quinquefoliũ, decoctis in lacte radicibus & potis. Item decoctum ad tertias in uino ictericis dari atq; illini utilissimũ est. Eius folia ex aqua comitiales sanant. Item contrita ex uino sumpta triginta diebus in betonicæ farinæ pondo denariorũ tredecim cum aceti scillitici cyatho, comitialibus morbis liberant. Celerrimè succus regio morbo medetur, tribus cyathis cum sale & melle potus. Quinquefolij folia quidam terna tertianis dedêre, quaterna quartanis, plura cæteris, omnibus obolis tribus cum pipere ex aqua mulsa.

DE PISIS.